

quando Ecclesiarum servitio , & Titulatis ipsis , quos uti filios diligimus , esse satisfacturos , re dili- genter discussa , ut primum commoda occasio se ob- tulisset . Verum quia nonnulli patientia nostra abu- tuntur , non sine Cleri magno dispendio , & nos o- mnibus intentionem nostram notam esse summopere desideramus ; per præsens Decretum declaramus , Be- neficia , sive Titulos prædictarum Parochialium Ec- clesiarum non esse Beneficia curata , ut aliqui ex dicto nostro Edicto opinari videbantur , cum alias per Constitutiones Patriarchales declaratum fuerit anima- rum curam solos Plebanos habere in Ecclesiis sibi com- missis . Nibilominus monemus Presbyteros titulatos , qui Plebanis in partem sollicitudinis curæ dati sunt , quique in dies de quibuscumque emolumentis ex cu- ra provenientibus participant , ut eorum opera ad lu- crandas animas Christo , Plebanos coadjuvent , juxta antiquas Constitutiones Patriarchales , & decreta DD. Visitatorum Apostolicorum , & prout hæc tenus eisdem Plebanis auxiliari , & animarum salutem procurare similes Titulati religiose consueverunt , sibique per- suadeant divinae ultioni subjacere , si in prædictis defuerint ; maxime cum plebani ipsi commode eorum muneri satisfacere nequeunt . Præterea , cum a per- sonali residentia Titulati prædicti excusari praten- dant , ita ut qui ad alia beneficia se conferunt , per substitutos Ecclesiis , in quibus sunt Titulati , deser- vire possint , ex quadam Synodali Constitutione R.<sup>mi</sup> D. Johannis Trivisani Prædecessoris nostri , tota ve- ro hæc difficultas pendeat ex vero sensu sacri Conci- lii Tridentini Sess. XXII , Cap. 4 , de Reform. quo Beneficiati quicumque , quibus onera cantandi Missas , Evangelium , sive Epistolam adnexa sunt ,